



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno CCCXIV. ad annum CCCXLVI.

**Parisiis, 1644**

De ratione eligendi ex dioecesi ad sacros ordines, & de ratione  
examinandi eos. Capvt LX.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15072**

*De omnibus gradibus clericorum, & ministeriis eorum publice  
describendis & proponendis.*

ANNO  
CHRI  
529.

## CAPVT LIX.

Ne cum cle-  
ricis laici  
misceantur,  
Turon. 2.  
c. 4.

Describantur & exponantur omnes gradus clericorum, & ministeria eorum, ne vlla sit inter eos dissensio; & ne catholici misceantur, quando venerint clerici aliarum ecclesiarum, & aliorum monasteriorum: siquidem omnia ministeria sunt vniuersi in cuncta parœcia, siue diœcesi, quæ sub potestate eius est.

Fortasse non est alienum ab hoc Canone quod scripsit beatus Basilus in epistola ad chorepiscopos, vt mitterent descriptos in tabella eos qui in singulis pagis essent hypodiaconi, a quo quisque lectus esset; & vt seruarent sibi chorepiscopi exemplum, vt cum missum esset ad episcopum, recognosceretur.

*De ratione eligendi ex diœcesi ad sacros ordines, & de ratione  
examinandi eos.*

## CAPVT LX.

Si qui sunt ex diœcesi ad sacerdotium, id est, ad sacros ordines eligendi, primum quidem adducendi sunt ad episcopum; postea examinent eos archidiaconus & chorepiscopus, & videant an idonei & intelligenter legant scripturas, & an sciant leges sacerdotales & statuta ecclesiæ. Qui si fuerint vere approbati quod ipsi sciunt ista, sintque vere digni sacerdotio, & a Deo, qui nouit secreta, electi, orabunt pro eis orationem solitam, vt fiant digni remissione, & accipiant indulgentiam. Postea adducendi sunt ad episcopum, vt imponat eis manus, & benedicat, eosque ordinet: qui cum erunt ordinati, debet archidiaconus adducere eos ad chor-

ANNO CHRISTI 325.  
episcopum, vt moneat eos, ne ministrent in ministerio sacerdotali, id est sacrificii, sed tantum orationis, donec didicerint omnes leges sacerdotii; & postea veniant ad chorepiscopum, vt videat an in hoc profecerint, & iterum eos de hoc admoneat: non enim licet, vt vllus ex sacerdotio ministret in sacello, siue capella diœcesis, sine licentia chorepiscopi, quandoquidem ipse est caput illorum. Et si archidiaconus non fuerit prope, qui fuerint ordinati accipiant literas a chorepiscopo ad archidiaconum, qui debet tunc suscipere curam eorum in iis quæ ad statuta ecclesiæ pertinent, & dare illis curam secundum ordinem ecclesiæ. Nec episcopus, neque chorepiscopus debent eos a clero remouere sine archidiacono: siquidem ipse est, vt ante diximus, nutritus in ciuitate, & habet totius populi notitiam, præstque officio orationis, & omnibus diaconis. Et quando episcopus proficiscitur ad villam, aut castellum diœcesis, nulli debet chorepiscopus permittere, vt sine licentia archidiaconi ordinetur, nec episcopus, nec vllus alius sacerdotem ordinare debet, neque religiosum facere, nisi præsentem chorepiscopo: siquidem ipse quoque præst officio orationis, & ceteris omnibus, quæ in villis suis fiunt. & quicumque non paruerit, Synodus eum excommunicat.

Huic Canoni attestatur epistola beati Basilii ad chorepiscopos. ex ea enim constat chorepiscopos non diaconos, qui sunt ordinis sacri, & sacrificio ministrant, sed hypodiamonos & alios ministros ordinare potuisse, vt ex Canone superiore 56. liquet, modo essent examinati & probati a presbyteris & diaconis.

Ministrare in ministerio sacerdotali est ministrare altari, quod presbytero & diacono ministro presbyteri conuenit.